



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Confessio hominis peccatoris gementis & dolentis, seq. causam Passionis
& Mortis fuisse Christi Domini sui, fatentis &c. xv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

verbum meum in hac luce : & cum amplius loqui non
possum, tu clementer exaudi desiderium meum. Pater, ^{Psal. 30.}
in manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me
Domine Deus veritatis. Amen.

Confessio hominis peccatoris gementis & dolentis,
seque causam Passionis & mortis fuisse Christi,
Dñi sui fatentis, ad Deū Patrē misericordiarum.

O Creator & Domine cali & terra, maris & omnis **CAPVT**
creatura, sancte, fortis, iuste & recte, miserator **XV.**
& misericors Deus. Ego indignus, miser & infelix pec-
cator confiteor me esse vilissimum & nefandissimū pec-
catorum omnium: & tam enormiter offendisse oculos ^{Luc. 15.}
Maieſtatis tue, ut nō sim dignus vocari filius tuus, imō
ne infimus quidem seruus tuus: indignus omnino, ut ter-
ra sustineat calcaneum pedum meorum. Qui non vno
sed innumeris peccatis te offendi: quibus etiam unigeni-
tum filium tuum, Dominum & Creatorem meum ma-
nibus tradidi nocentium, & crucis subire coēgi tormen-
tum: quem denuo, & saepe nimium insuper prolapsus, ^{Heb. 5. 10.}
veluti conculcavi, & sanguinē testamenti pollutū duxi,
in quo sanctificatus sum, & spiritui gratia contumeliam
feci. Verū piissime Pater, quia pater misericordiarum ^{2. Cor. 1.}
es, & Deus totius consolationis: cui propriū est misereri ^{Ezech. 18.}
semper & parcere: qui non vis mortem peccatoris: de
tua Misericordia summē confidens, peto indulgentiā &
remissionem omnium peccatorum meorum, quibus vn-
quam Bonitatem tuā offendi. Deus propitius esto mihi ^{Luc. 18.}
peccatori. Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia ^{Psal. 142.}
non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Fac ^{Psal. 85.}
mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, &
confundantur, quoniam tu Domine adiuuisti me, &
consolatus es me. Amen.